
TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

D E

D Y S P E P S I A.

5

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
DYSPESIS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PROGRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ARTHURUS JACOBUS O'CONNOR,

HIBERNUS,

Regiae Physicae Societatis Socius Honorarius,

Et Praeses Annuus.

“ Discite, non inter lances, mensaque nitentes,
“ Cum stupet insanis acies fulgoribus, et cum
“ Acclinis falsis animus meliora recusat;
“ Verum hic impransi mecum disquirere. Cur hoc?
“ Dicam si potero.” — HORAT.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,XCV.

JOHANNI CALLANAN,

Viro

Omnium hominum consensu,

Viduarum agnitione,

Orbitorum precibus,

Pauperumque gratibus,

Apud Corcagiam;

Artem Medicam

Casté, docté, et prudenter exercenti;

Non propter amicitiam ejus monstratam,

Sed potius

Patri charo, fratri benigno, gentisque

Humanae custodi

In pignus consecrat

A U C T O R.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

D Y S P E P S I A.

HUNC morbum sic describit Cullenus :
“ Anorexia ; nausea ; vomitus ; ructus ;
“ ruminatio ; cardialgia ; gastrodynia ; paucio-
“ ra (saltem) vel plura horum simul concurren-
“ tia, plerumque cum adstricta alvo ; et sine ul-
“ lo, vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium
“ morbo.”

A

HISTO-

HISTORIA MORBI.

Dyspepsiae historiam accuratam dare, esset difficile; namque symptomata ejus in regulari progressu, fere nunquam apparent; ea tamen quae frequentius occurunt, paucis verbis recitabo. Cum morbus primum aggreditur, sensus plenitudinis vel ponderis circa ventriculum; aut anxietatis ad praecordia, semper post sumptu-
nem cibi excitantur. Ructus primo acidi aut amari, (et morbo provecto) rancidi aut putridi aegrum vexant. Tormina ventris; gastrody-
nia; anxietas magna; ejectio per os mate-
riae tenacis; post eructationes, aliquando oc-
currunt. Nonnulli una secundave hora post

cibum

cibum sumptum, ingesta sua iterum manducant.

Serius aut ocyus, vultus pallescit; solida laxa
fiunt; vires languescunt; sensus lassitudinis ori-
tur; atque aeger omnem motum aversatur.

Cephalalgia aut vertigo saepe oritur, post cibum
praesertim. Animus irritabilis fit, et levibus
causis dejectus. Diarrhoea perraro; saepissime
alvi constipatio comitatur. Ictus arteriarum
plerumque debiles sunt; et nonnunquam cele-
res et debiles fiunt. Cutis sicca est, et aegro-
tus de sensu frigoris (praecipue extremorum
corporis) queritur. Anima foetida evadit, lu-
mina hebescunt; somnia horrifica exhausti-
vires aegri; ac saepe materiae crudae evomun-
tur; et denique hydrops generalis, finem vitae
imponit.

DIAGNOSIS.

Morbi, qui cum dyspepsia similitudinem habent sunt, *hypochondriasis*; *chlorosis*; *arthritis atonica*; et *scirrhos pylori*; de tribus tamen posterioribus tantum differendum est *.

Chlorosis.—Appetitus praeternaturalis, aut illud desiderium rei non esculentae; cutis pallor; flacciditas corporis, et menstruorum retentio ab morbi initio, distinguunt hunc ab dyspepsia.

Arthritis

* Adhuc disputatur, num hypochondriasis et dyspepsia iidem morbi sint; hinc non liquet nobis dirimere.

Arthritis atonica.—Hic, dolor de improviso impetum facit; majoreque vi; antevenerunt prodrae symptomata, aut saepe labes haereditaria in causa est.

Scirrhus pylori.—Dolor est magis fixus hic, et sensum caloris dat circa regionem pylori; vomitus post cibum semper urget; dolor saepe sentitur, scrobiculo cordis presso; atque is fere semper tumet.

C A U S Æ R E M O T Æ

Duplices sunt; quae ventriculum specialiter infirmant; et quae totum sistema, vel partes ejus primum; et inde ventriculum debilitant.

Hæ

Hae sunt, sedantia varia, seu narcotica; quae-dam tonica seu amara; vel stimulantia; vel relaxantia *. Quae in systema totum agunt, vel in partes speciales ejus, sunt, vita sedentaria; pathemata mentis; temperies frigida cum hu-miditate juncta; somni excessus aut defectus; et omnia quae debilitant.

RATIO SYMPTOMATUM.

Anorexia, nausea, vomitus, tantum in gradu discrepant, et multas causas agnoscent; quippe quae ventriculum ipsum laedunt; vel (secun-dum consensus leges) quae ipsum afficiunt, prop-

ter

* Prim. Lin. Pract. Cullen. vol. 3. ex pag. 237. ad pag. 239.

ter partes forsan remotas, prius affectas. Cibi appetitus saepe deficit ob exercitium neglectum; suppressa scilicet per cutem exhalatione, vel debilitato ipso ventriculo. Nausea et vomitus saepe oriuntur ab ventriculi irritatione aut distensione, uti ab onere cibi crudi; et ab aliis haud explicatis causis, ut ab animi affectibus.

Inflatio.—Aër cibo nostro inhaerens extricatur, inter concoctionem, et fanis absorbetur; sed debiles ventriculi hanc potestatem amittunt, hinc signa inflationis sequuntur.

Cardialgia.—Hic, sensus injucundus, ad cardiam perceptus, plerumque producitur acido; vel materia alia acri, remora cibi in stomacho,

&c.

&c. Gastrodynia plurimis causis oriri potest; uti ab inflammatione, inflatione, acrimonia, et spasmo; sed revera frequentius ab spasmo; nam antispasmodicis tollitur.

Alvus adstricta accidit ob debilitatem ventriculi ad intestina transeuntem, motumque eorum peristalticum minuentem.

CAUSA PROXIMA.

Fere omnes hujus temporis medici consentiunt, debilitatem tunicae muscularis stomachi (mutatione succi gastrici inducta) causam proximam dyspepsiae esse.

PROG-

P R O G N O S I S.

Si diu perstiterit Dyspepsia, raro mederi potest; attamen fere semper lenitur. Junioribus quam aetate proiectis magis faustus erit; sed si causae remotae diu applicatae sint, et symptomata morbi pertinacia evadant; tunc nulla aetas impedit quin prognosis minus fausta sit, et hydrops vel cachexia generalis semper metuenda est.

M E T H O D U S M E D E N D I

In tria consilia dividitur: *1mo*, Causas remotas amovendi; *2do*, Graviora symptomata levandi; *3to*, Tonum ventriculi restituendi.

DE DYSPEPSIA.

Ad primum quae attinent sufficiat dicere, quod, cum possumus, in omni casu debemus, causas remotas amovere; sed vix, aut ne vix quidem possibile est vincere pertinaciam hominum. Anxietas et nausea. Cum prior oriatur ab suppressa exhalatione cutis; exercitatione apta prospere tollitur. Sed cum ambae harum oriantur ab colluvie in ventriculo, inedia modica forsan efficax sit; si non emetica lenia utenda sunt. Vomitus. Cum hic sponte occurrat, promovendus est; cum aliter accidat, excitandus est infusione chamaemeli, ipecacuanæ, &c.

Cardialgia, saepe glycyrrhizo compescitur: Si alvus adstricta sit; tunc antacida purgantia ut magnesia, idonea sunt; si tamen alvi fluxus adfit,

adfit, tunc potio cretacea vel aqua calcis sunt eligendae. Gastrodynia item demulcentibus levatur; sed aether, moschus, aut opium multo plus valent. Alvi constipatio amovenda est, laxantibus ventriculum quam minime infirmitibus; uti electuarii sennae, vel sulphuris, pilulis aloes cum rheo, &c. Tonum ventriculi restituere, praeparata ferri in usu diurno sunt, veluti limatura vel rubigo; et ne stomacho ingratiae fint, aromatibus commode junctae sunt; atque aquae minerales ferrum solutum continent, ut tonica potentia laudantur.

Amara. Haec omnia effectus roborantes edunt; praecipua sunt, radix gentianae; columbae; lignum quassiae; flores chamaemeli;

cortex aurantiorum; angusturiae; Peruvianus, &c. Astringentia merito cum roborantibus annumerantur, praesertim amaris conjuncta; et tale remedium cortex Peruvianus est.

EXERCITIUM.

Hoc omnium remediorum utilissimum est, nam sine illo, alia inutilia essent. Si vires aegri finant, equitatio aut ambulatio optima sunt; si non, peregrinatio maritima videtur melius accommodata esse. Balneum frigidum caute adhibitum vi maxima roborante pollet. Si rubor, calor, et humiditas cutis; bonus cibi appetitus, bonaque concoctio ejus sequuntur, brevi tempore post usum balnei; tunc salutare esse, vix

dubitam-

dubitandum est. Attamen contra, tremor magnus membrorum; pallor vultus; siccitas cutis; debilitas; spiritus demissi; nausea aut anxietas testantur, id, vel tam diu adhibitum; vel nimum frigidum; vel ex toto demum abstinendum esse.

F I N I S.



